

doctrina de prædestinatione Calvinii oriatur necesse est: Prædestinatio eius, & officium hominis, sunt ἀσύσπαστα. Impossibile est illa conjungere. Quisquis non potest non facere quod facit, is officium suum non facit, & sublato hominis officio, quid est Religio, nisi mera histrionia, & operosa simul ac ludicra fabula? Quare, non leuem causam Remonstrantes habuisse censendi sunt, cum doctrinam istam appellarunt, infœlix lolium, & apostema quod succum & sanguinem omnem pietatis exugit, fermentiq; instar sese per universum Theologiæ corpus ita diffundit, ut nihil sani sapidiq; reliquū faciat. Quin imò, quod de ea *Clarissimus vir Tilenus* censuit, scripsitq; meritissimo jure censuisse ac scripsisse credendus est; nec esse quòd metuat illud, *increpet te Deus, o Satan!* Istud non metuit, qui credit doctrinam istam arcem esse, ex qua Satanas potentissimè Deum & Religionem eius oppugnat simul atq; expugnat, ac proinde Satanæ nihil gratius accidere posse, quàm si tam pestilens doctrina credatur esse Religionis ac pietatis sedes & domicilium. Hac ægide munitus haud difficulter regnum suum firmat in hoc mundo, & pietatis fibras ac radices è pectoribus hominum revellit. Qualis Prædestinatio, talis Religio: fieri aliter non potest. Nec dubium est, quin hanc unam ob causam tam diras, tam plumbeas, tam acres iras gerant Calvinistarum Coryphæi, & qui rem intelligunt, Contra Remonstrantes, quòd sciant quantum syrma consequentiarum per totam Religionem ipsorum post se trahat dogma de Prædestinatione. Quod apud Pontificios est Ecclesia, id apud Calvinistas est Prædestinatio: uti tota illorum Religio ex isto uno capite, ita horum tota Religio ex hoc uno capite dependet: Atq; hinc est, quod non dubitarint propter eam solam turbare, & sursum deorsum vertere Patriam nostram, totq; in ea funestas tragædias excitare, quas jam per decennium cum lachrymis & gemitu Pij omnes spectarunt: Nec desinunt, hodieq; potestates summas incendere atq; inflammare, ut omni crudelitatis genere sævire pergant in eos, à quibus doctrinam istam fortissimè oppugnari sciunt. Nempe, nisi vi stabilietur & retineatur, perituram & dilapsuram eam vident sponte sua, non aliter quàm catarrhus dilabatur ac diffluit. Nec divinam iram crudeles turbatores metuunt, quia doctrina hæc ipsa facit ut metuere opus non habeant. Quicquid faciunt, id credunt aut peccatum non esse, aut, si peccatum est, id efficere non posse ut in iram Dei æternam incidant. Peccata omnia sua remissa esse credunt, antequàm facta sunt, & cum fiunt, efficere non posse ut irrita fiat remissio,

E 2

aut